

iratus buccas inflet neque se fore posthac  
tam facilem dicat, votis ut praebeat aurem?  
praeterea ne sic, ut qui iocularia, ridens  
percurram (quamquam ridentem dicere verum  
quid vetat? ut pueris olim dant crustula blandi  
doctores, elementa velint ut discere prima;  
sed tamen amoto quaeramus seria ludo):  
ille gravem duro terram qui vertit aratro,  
perfidus hic caupo, miles nautaeque, per omne  
audaces mare qui currunt, hac mente laborem  
sese ferre, senes ut in otia tuta recedant,  
aiunt, cum sibi sint congesta cibaria: sicut  
parvola — nam exemplo est — magni formica laboris  
ore trahit, quodcumque potest, atque addit acervo,  
quem struit, haud ignara ac non incauta futuri.  
quae, simul inversum contristat Aquarius annum,  
non usquam prorepat et illis utitur ante  
quaesitis sapiens, cum te neque fervidus aestus  
determineat lucro neque hiems, ignis, mare, ferrum,  
nil obstat tibi, dum ne sit te ditior alter.  
quid iuvat, immensum te argenti pondus et auri  
furtim defossa timidum deponere terra?  
'quod, si comminuas, vilem redigatur ad assem.'  
at ni id fit, quid habet pulchri constructus acervus?